

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02 / 734 55 42

SPES NOVA IN ACADEMIA ROMANA

Urbis Romae conditae dies anniversarius celebrari solet die XXI mensis Aprilis. Hoc anno, cum ad medianam noctem in monte Aventino una cum Prof. Nicolao Sallmann et Dr. P. Caeleste Eichenseer ambulabam, nobis licuit mira articia pyrotechnica contemplari, quibus Romani diem anniversarium suae urbis celebrant. Caelum huc illuc diu atque mirifice transvolarunt multicolora artificiosa sidera decidua.

Romam conveneramus cum Veneris die XXII incoharetur coetus Academiae Latinitati inter omnes gentes fovendae, cuius Prof. Sallmann et Dr. Eichenseer sunt sodales.

Solis sodalibus participare licet primam sessionem antemeridiano tempore habitam. Hora circiter decima Aloisius de Nardis, Academiae praeses, sessionem breviter inauguravit verbis Italicis. Rogavit sodales ut cogitarent num in futuro sedes Acadiae collocanda esset in alio loco ac in Instituto Studiorum Romanorum. Postea praeses huius anni coetus electus est Prof. Vincentius Ussani.

His officialibus rebus actis, ad ordinem rerum agendarum ventum est. Mirabile! Ordo rerum agendarum, qui iampridem Italice conscribebatur, hoc anno linguā Latinā iterum propositum est. Hac in re videtur iuvavisse epistula circularis quam ad singulos sodales miserat Dr. P.C. Eichenseer, qua monuerat munus Acadiae esse Latinitati sovere verbis non tantum Italicis sed potius Latinis.

De septimo Latinitati fovendae conventu primum agendum erat, qui anno 1989° habebitur. Professor Jämscher huius rei relator erat: nam conventum in



Germania orientali ordinandum curat. Re vera Romae aderat, sed alium conventum participabat. Quae prima pars rerum agendarum ergo, relatore absente, praetermissa est.

Postea Professor Nicolaus Sallmann de legibus typographicis redigendis ad textus Latinos edendos, in quas multos per annos incubuit, rettulit. Nam, cum in diversis Europae regionibus Latinorum textuum editores interpunctione utantur

quae e singularum vernaculis consuetudinibus pendet, collegium Acadiae sodalium incubuit in regulis communibus excogitandis. Prof. Sallmann, collegii praepositus, de opere perfecto rettulit, quod omnium consensu comprobatum est. Has regulas communes lectores nostri in proximo Melissae fasciculo legere poterunt; Melissa curabit ut in posterum respiciantur in suis editionibus.

Deinde de sententia actum est "trium virorum collegii de investigandis scriptoribus, quod ad dicendi rationem spectat, et de verbis novis proponendis". De his Iosephus Maria Mir referre debebat, sed fassus est sibi non licuisse huius commissionis homines convenire atque se, nulla disputatione facta, nihil referre posse. Ipse rogavit ut quidam aliis praeponeretur collegio. Nicolaus Sallmann, cum opus suum perfecisset, rogatus est ut moderaretur collegium, cuius participes sunt Carolus Egger, Caelestis Eichenseer, Iosephus IJsewijn et Iosephus Maria Mir. Sic magna spes orta est ut in verbis novis comprobandis Academia aliquid boni et utilis incoharet.

(sequitur p. 3)



INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES VIDO ANGELINO

Ubi et quando natus es?

Natus sum in vico montano ("Oulx") Alpium Cottiarum, prope "Sestriere", die XXI Martii (primo die veris!) anno 1911.

A quo tempore coepisti linguam Latinam amare?
Cum eam coepi docere in Lyceis.

Hodiernum Ubi studia secundaria et universitaria fecisti?

Romae, ubi ~~quaque~~ adeptus sum lauream philosophicam; lauream autem "litterariam" vel "humanisticam" consecutus sum in Universitate Genuae.

Quibus muneribus functus es? Docuistine linguam Latinam?

Adeptus laureas, me totum dedi institutioni linguae latinae et graecae, usque ad annum 1977, in quo, fruens legitima pensione, recessi in placidum otium litterarum.

Quando et quibus impellentibus coepisti Latine loqui et Latinitati vivae favere?

Per complures annos, ego docui linguam latinam in lyceis classicis linguisticis et pedemontanis, sequens scilicet methodum traditam: ex una parte, minutissimae explications syntaxis, sive simplicis sive compositae; ex altera, accurata interpretatio Auctorum: praecedebat versio pedisequa, ut discipuli animadverterent arduam et saepe labyrinthicam structuram linguae latinae litterariae, inde versio liberior, secundum indolem linguae italicae: sequebatur postea diligentissima pervestigatio syntactica loci antea explanati: ecce hic propositio finalis, hic duae temporales coordinatae, ecce oratio obliqua, ibi coniunctivus potentialis, inde dubitativus...

Quodam die, legi in periodico latino articulum qui me fulguravit, qui me improviso expergesfecit ex meo tranquillo somno dogmatico. Haec plus minusve adfirmabantur: "nonne iam advenit tempus ut lingua latina doceatur et discatur eadem methodo, qua hodie docentur et discuntur linguae hodiernae? Nonne lingua latina fuit viva, vivissima per multa saecula? Cur non possit hodie redire viva? Hoc autem addatur: nulla est melior atque utilior propaedeutica ad intelligendos et perfruendos Auctores Classicos latinos, quam adhibere vivam linguam latinam."

"Haec sunt verba sacrosancta!" intra me murmurabam legens. Per aliquot dies, volutavi tacite in mente mea contentum articuli; tandem decrevi inire hanc novam experientiam.

At ante omnia necesse erat ut ipse scirem loqui latine. Sed quis me id docuerat? Non quidem Universitas Studiorum; in nulla enim Universitate

existit "cathedra" latinivivi, colloquialis. Tunc statui, ut italice dicimus, "di cavarmela da solo", id est "rem meis viribus expedire".

Deambulans ergo per meum conclave scriptorium atque mente singens me alloqui meos discipulos, coepi explicare, latine et elata voce, aliquam simplicem regulam, aliquam planam notionem syntacticam. Prudenter, tenebam in promptu lexicon latinum, si forte mihi accideret aliquod vacuum memoriae.

Post aliquam titubationem et haesitationem initii, mirum est quam cito ego valuerim, etsi lente et caute, exprimere planissimo latino mea cogitata. Post duas hebdomadas, me deprehendi, obstupescens et secrete commotus, me factum esse quodammodo civem romanum, qui iam posset sua cogitata exprimere linguā latinā rectā ac simplici, at plene legitimā. Ceterum, numquam est obliiscendum nos magistros linguae latinae esse quodammodo lexica latina viventia; tot enim sunt vocabula, verba, adverbia, coniunctiones... quae novimus; haec vero ingentissima materies lexicalis facit sopia et cumulata in nostris mentibus; opus est ideo exercitio, quod eam expergesfaciat et eam instruat illā opportunā velocitate comparitionis coram mente.

Sic perrexi secrete usque ad finem anni scholastici. Proximo anno, mihi contigit prima lycealis quam cito animadverti compositam discipulis acrioris ingenii et bonae voluntatis. Ergo quodam die habui coram eis, italice patet, oratiunculam, repetens summatum argumenta articuli.

In eorum oculis deprehendi aliquam perplexitatem, at cum coepi, lente et distinete, eos alloqui latine, tunc cito exarsit fervor et ardor, nec umquam, ab illo die, destitimus loqui latine: ego praefabar latine paginas Auctorum interpretandas, discipuli conabantur repetere summatim latine locos Auctorum iam explanatos, latine faciebant rogationes, latine temptabant respondere meis interrogationibus, latine loquebamus de vita et de operibus Scriptorum latinorum.

Mirum est quantam curiositatem excitaverimus in toto Lyceo: discipuli ceterarum classium cupiebant certiores fieri de re, collegae me plura rogabant. Non defuerunt, ut par est, censurae. Quodam die, collega sic me est allocutus: "Sed hoc vestrum latinum planum, siccum, exsangue, exile, nonne vos contaminabit irreparabili modo, ita ut siatis surdi et caeci ante exquisitam et implexam pulchritudinem Classicorum?".

Illi responderi: "Haec obiectio videtur gravis, sed est tantummodo speciosa. Dic mihi: nostri discipuli lyceales, ex eo quod adhibent linguam italicam sat impuram, sat corruptam, refertam barbarismis, quae iam reicit ab usu modum coniunctivum, num propter hoc fiunt inepti ad intelligendos et ad admirandos (sequitur p. 3)

(sequitur p. 1)

Sessioni autem postmeridianae "omnes docti homines adesse possunt", ut nuntiatur in ordine rerum agendarum. Quare hora quarta adfui. Carolus Egger, cuius munus est scripta Latina Civitatis Vaticanae conscribere, imprimis locutus est de necessitate novorum verborum confingendorum, non solum communium sed etiam propriorum, velut de locis geographicis. Inde inter sodales orta est vehemens disputatio: alii enim putant vocabula nova necessarie condenda esse atque ea modo scientifico confingere conantur, omnibus circumspectis et ingenio linguae Latinae respecto. Certe ipsius collegii participes assentuntur^m sed etiam alii, inter quos praecipue memorandus est Vladimir Vratovic, Iugoslavus: ille enim participat inceptum Instituti lexicographicici Iugoslavicci "Miroslav Krleza", quod dictionarium encyclopaedicum octo linguarum, Croatica, Russicae, Anglica, Theodiscae,

Francogalicae, Italicae, Hispanicae et... Latinae (Osmojezicni Enciklopedijski Rječnik, Jugoslavenski Leksikografski Zavod "Miroslav Krleza", Zagreb 1987: primus tomus, iam editus, pertinet ad litteras A-E). Alii autem putant de rebus modernis tantum linguis vernaculis disputandum esse. Feliciter in dies pauciores flunt.

Post Carolum Egger, Robertus Schilling Francogallus diu tractavit "quid Romae antique deberet christianismus". Usum linguae Latinae in rebus religiosis defendit propositus ut petitio ad papam mitteretur, miro modo, cum ipse deliberando Italice loqueretur! Tum P.C. Eichenseer surrexit dicens: "Cur accusamus Ecclesiam, cum hic in Academia sodales non loquuntur Latine?" Robertus Schilling respondit: "Ubique Latinitatem defendere debemus". Cui sententiae omnino assentior. Optimum tamen paeconium meo sensu est... ipsum exemplum dare!

Gaius LICOPPE

1a

(sequitur p. 2)

maximos Auctores italicos, quos eis explicamus in schola? Immo, ex oppositione, ex discrepancia, prope dixi ex collisione utriusque linguae, melius et acerius et subtilius percipiunt puritatem et elegantiam et vim Scriptorum italicorum. Sic fit et fiet adhibentibus latinum colloquiale, planum, rectum; minime impudentur quominus percipient pulchritudinem et arduam structuram Classicorum latinorum eorumque paginas intellegant et admirantur". *etiam*

Explevimus annum, et explevimus quoque integrum programma latinum quoad Vergilium, quoad Ciceronem et quoad Livium, tres Auctores qui tunc erant adsignati primae classi. Intra me ipsum interea cogitabam: "in secundo et tertio anno, cum his discipulis alacris voluntatis et acutae intelligentiae, certe adipiscemur, quoad latinum vivum, exitus mirandos!".

At mense Septembri, accepi telegramma. Tribus annis ante, participaveram certamen publicum ad assequendum munus Praesidis in lyceis classicis. Telegramma mihi nuntiabat me evasisse victorem atque praecipiebat ut statim adsumerem munus Praesidis in alio lyceo pedemontano.

Quid facerem, nisi oboedirem? Discipulos illius anni numquam iterum vidi, at pro certo habeo illos numquam oblitos esse illius mirabilis anni ac suspicor hodie quoque, post tot annos, eos adhuc scire, caute quidem et lente, se exprimere latine. *perpetua*

Quoad me, ab illo anno numquam desit adhibere latinum colloquiale atque strenue pugnare ut nova methodus docendi linguam latinam latine magis magisque diffundatur in scholis italicis. Numquam *perpetua* vero neque heri destiteram neque hodie desisto non modo servide mirari, sed etiam crebro frui lectione Classicorum, ac praeterea participare Certamina internationalia prosae latinae (ut Certamen Capitolinum, Certamen Vaticanum, Certamen Catullianum), in quibus quattuordecies exornatus sum praemius.

Quomodo se gerat hodie magister, qui cupiat docere latine linguam latnam?

Si qui magister exoptet docere latine linguam

latinam, incidit hodie in non parvas difficultates. Ante omnia, oportet eius Praeses iam agnoscat fructuosam novitatem hulus novae methodi atque permittat experimentum; poterit autem professor inire hanc novam institutionem latini vivi; si comitabitur suos discipulos saltem per duos tres annos curriculi, aliter eius incepit manebit truncum, ergo inane; si denique efficiatur concors et prompta voluntas inter collegas, res poterit sat facile ad bonum exitum adduci. Non loquor de discipulis, quibus evadunt gratissimae novitates, et in quibus cito exoriuntur animi inflammatio et alacritas non parvae, si animadvertant se fieri sensim adolescentulos romanos.

Neque hoc est spernendum: si in una vel in aliqua classe cuiusdam Gymnasii, lingua latina incipiat doceri viva, statim exsurgat ingens curiositas in ceteris classibus et desiderium imitandi rem.

Procul dubio, si crescens numerus magistrorum alliciatur ad docendum latinum latine, et talis methodus incipiat diffundi per Europam. "cultura" *cultus* latina fiet in Europa divitior et profundior, quae res non poterit non alere in Europa ubiorem aequioremque humanismum, quo maxime hodie indigemus.

Quid censes de linguae latinae usu inter Europaeos?

Ut alibi et pluries adnotavi, necessitas secundae linguae communis in Europa sit hodie magis magisque instans. In Europa, quattuor linguae se offerunt, ut ita dicam, "candidatas" ad hoc munus: lingua anglica, gallica, latina, esperantum. Cunctae proferunt argumenta, et quidem valida, pro domo sua, et cunctae strenue pugnant pro sua Victoria. Ego non possum non cogitare "nostalgice" tempora Medii Aevi, cum lingua latina, simplicis structurae, omnes Europaeos coniunxit et strinxit in unitatem linguisticam et culturalem. Si hoc hodie posset iterari, sublimi vertice sidera ferirem. At sunt difficultates multiplices, quamvis pro parte nostra extet ingens adlumentum: in scholis enim europaeis lingua latina docetur et bene docetur. Si tandem doceatur viva, fieri poterit ut ipsa iterum volitet viva per ora omnium Europaeorum.



EX ORBE LATINO

ITINERA LATINA

Mense Februario occasionem habui ad Kalevalam Latinam propagandam duas peregrinationes faciendi, in quibus multa de condicionibus hodiernis vivae Latinitatis cognovi. Quae, quia forsitan digna sunt, quae a Melissae lectoribus cognoscantur, breviter narrabo, ut rebus relatis etiam collegis amicis, quos plurimos in Italia et in Hungaria conveni, gratias pro eorum referam amicitia et hospitio.

Veneris die 12.2 aeroplano ab aeroporto Helsinkensi mane profecti per Stockholmiam Suecorum et Tigurum sive Thuringum (vulgo Zürich) Helvetiorum Mediolanum meridie pervenimus. Gaius Licoppe, quocum consilia de itinere meo telephonice communicaveram, me amicissime praemonuerat, ne Carolum Rossi Mediolani convenire praetermitterem. Ergo quam primum Carolo telephonavi, qui me insuum grapheum invitavit, unde postea in proximam cauponam transiimus. Prandentes -aderant etiam Caroli coniunx alique familiares- multa de rebus Latinis Latine colloquebamur. Comperimus eiusdem diei vespere fore conventum Sodalitatis Latinae Mediolanensis cui constituendae Triumviri fuerunt, una cum Carolo, Claudius Piga et Stephanus Torelli, amici latinistae mihi in Feris Latinis Provincialibus iam bene cogniti.

Congressi sunt sodales in caupona "Centro Navigli" nuncupata, iuxta viam Goritiam sita. Ordo rerum agendarum hic fuit: Angelinus Rivaldi de Regimine Sanitatis Salernitano egit, Florianus Homonovus (Neumann) de Petrarcae et ~~sua~~ ipsius adsummum montem Nivosum ascensione narravit, Triumviri supra dicti in utramque partem disputaverunt, utrum televisionis usus rei nostrae proficeret an obesset; praeterea Latina cantabantur cantica et optimum vinum abundabat. Adfuerunt sodales circiter sexaginta et, quod mirumst, multi etiam e longinquo aliis ex urbibus venerant. Iucundissimum fuit ex inopinato Clementem Desessard convenire, qui autoraeda ex Provincia advectus erat, aliosque complures latinitatis fautores ex Latinis Feris iam nobis familiares. Maximi fuit momenti, quod administris Publicae Televisionis Italicae adfuerunt, qui sedulo instrumentis suis cinematographicis partes programmati et singula colloquia sodalium Latina condiderunt, quae postea divulgarentur.

Sabbato iter Florentiam perrexiimus, ubi Circulus Latinus Florentinus praeside Paula Marongiu conventum erat habiturus hora post meridiem quinta. Iter ferriviarum in curru escario sole vernali per fenestras resplendente nobis prandentibus iucundissime peractum est et tam commode pervenimus, ut sarcinis in deversorio depositis statim in thermopolium, cui nomen est "Caffè Strozzi", locum scilicet conventus, properaremus. Inter circuli

sodales, quorum praesentium numerus fuit maior quam triginta, multos vidimus nobis iam notos, aliquot etiam ex aliis urbibus ad hoc Florentiam advectos. Post colloquia introductoria Valerius Brezzi et Thomas Montanari sermonem Latinum de argumento "Estne mulier par viro an inferior" habuerunt, quo facto plurimi ex sociis sententias de eadem re varias in partes exposuerunt. Multum admirabamur sollertia qua Paula curavit, ut quisque ex praesentibus potestatem aliquid Latine loquendi haberet et coetus ita vere Latinus fieret. Florentinus Circulus, sicut et Sodalitas Mediolanensis, optimum praebet omnibus exemplum, quid ad vivam Latinitatem promovendam hodie fieri possit.

Universitas studiorum Florentina me invitaverat, ut die Lunae 12.2. "De traductione Latina Kalevalae carminis" acroasim partim Italice partim Latine facerem. Iam mense Septembri anni 1987^o professor Daniel Gheno Florentinus, qui hodie in urbe Finniae Turku litteras Italicas docet, mihi proposuerat, ut Florentiam venirem, sed varias propter causas antea invitationi obsequi non potueram. Linguarum Slavicarum professor Florentinus Antonius Raffo, quocum de meo itinere iam litteris communicaveram, me amicaliter accepit: prandio in caupona propinquā sumpto universitatis Departimentum linguisticum visitavimus et hora post meridiem quinta in aula prima Facultatis litterarum et philosophiae, sicut constitutum erat, lectionem meam auditoribus doctoribus quam frequentioribus legi. Erat enim tum ipsum vigilia carnisprivii, qua plerique potius carnalibus quam spiritualibus rebus solent vacare.

Die sequenti tempus ad monumenta museaque Florentina spectanda habui. Ea quidem iam anno 1957^o prima vice videram posteaque saepius, sed huius urbis artificia quotienscumque visa animum peregrinantis implent admiratione. At etiam coquina Florentina laude est dignissima. Eius rei certum testimonium dedit cena apud Paulam sumpta, qua omnibus convivilis Martis dies ante Cineres vere pinguis factus est. Inde chartulis cursualibus scriptis multis amicos latinistas salutavimus.

Godo Lieberg, ex Feris Provincialibus Melissae lectoribus notissimus Latinista, munere fungitur professoris ordinarii linguae Latinae in Universitate studiorum Senensi, cuius Departimentum, quoad theoriam et traditionum culturalium documentationem, Arretii situm est. Ille, cognito meo de itinere Florentino consilio litteris scriptis me invitaverat, ut etiam in Facultate Arretina Kalevalam Latinam Latine illustrarem. Quod mihi fuit gratissimum, nam satis habebam temporis, quia unam septimanam in Italia manere mihi proposueram. Ergo die Mercurii sive Cinerum

tramine ferriviario post iter unius horae Arretium adactus sum, ubi Godo collega ab statione ferriviaria me in deversorium adduxit, mirabilia urbis Arretinae monstravit, cibis et potionibus eiusdem regionis saturavit. **Facultas Arretina** amoenissimum habet locum in colle extra urbem sito. Plenissimum erat auditorium, cum ibi de Kalevala narrarem Latine et perspicuum erat auditores etiam omnia optime intellexisse.

Iam aderat tempus de reditu cogitandi. Tramine recta via Arretio Mediolanum revertimus, ubi adhuc tempus habuimus una cum Carolo Rossi et Claudio Piga cenandi in capona nomine "apud Libram" (trattoria Alla Pesa), quam omnibus Mediolanum visentibus bonae culinae amicis ausim commendare.

Quamquam non ante quam nocte dominicali in Finniā ex Italia reverteram, iam Lunae die mane iter Hungaricum mihi fuit suscipiendum. Comes itineris erat professor Väinö Kaukonen, notissimus hoc tempore Kalevalae carminis investigator, qui iam antea in Hungaria quater et trices fuerat, cum ipse primum eam terram peterem. Iter mandatu et sumptibus Ministerii Finnorum Publicae Instructionis fecimus, sed programma a collegis nostris Hungaris, praecipue a professore academico Petro Hajdu ordinatum et curatum erat. Propositorum fuit nobis Kalevalam Latinam quam latissime in Hungaria propagare. Ideo Ministerium nostrum iam antea triginta eius operis exemplaria collegis nostris Hungaris distribuenda miserat.

Relationes inter Finniā et Hungariā culturales sunt sui generis, quod magnam partem affinitati linguarum nostrarum attribuendum est. Quamquam haec conjunctio et necessitas non est arctior quam e.g. inter linguas Suecorum et Hispanorum, exstant hodie quoque vocabula, ex quibus a quovis cognoscitur, e.g. Hung. hal, Finn. kala "piscis", Hung. kéz, Finn. käsi "manus", Hung. vér, Finn. veri "sanguis".

In aeroporto Budapestinensem cum recto volatu ex patria venissemus, ab professore Hajdu et profestrice linguae Finnicae Outi Karanko autoraeda Academiae Scientiarum Hungaricae in deversorium nomine Atrium Hyatt vecti sumus, ubi de programmate definiendo disseruimus. Ad totam septimanam, ad singulos dies, ad singulas paene horas collegae amici aliquid nobis praecogitaverant, quae omnia enumerare longum est. Die 23.2 hospites fuimus honorarii in Instituto Fenno-Ugrico Universitatis studiorum Budapestinensis, ubi studentes et professores carmina popularia variis linguis, praecipue Hungarice, Estonice, Finnice cantabant et recitabant. Sequenti die in coetu professorum Universitatis professor Väinö Kaukonen Latinam habuit orationem "De religionis Christianae ad Kalevalam relatione", ego autem "De quaestionibus ad Kalevalam Latine translatam pertinentibus". Adfuerunt circa 50 auditores, ex quibus quidam ab aliis Hungariae universitatibus advenerant. Inauguravit conventum litterarum Latinarum Budapestinensis professor Sigismundus Ritok Latinitate usus vere Ciceroniana. Post orationes habitas multi alii quoque verba fecerunt, quaestiones eruditas nobis posuerunt aut res singulas commentis suis illuminaverunt. Inter locutores nominare velim

bibliothecarium clarissimum Iosephum Vekerdi, cuius extemporalem facilitatem Latinam multum admirabar. Forsitan ad multam noctem ita Latine sermocinando congressi mansissemus, nisi tempus coetu reservatum iam finitum professorem Ritok ad conventum dimittendum coegisset.

Iovis die 25.2. ante meridiem Bibliothecam Hungariae Nationalem et Museum Historicum invisi visitavi. Prandium domi suae hospitaliter nobis apposuit doctor Bertalan Korompay, cuius coniux Iulia (Juliska) linguam Latinam in Lyceo Budapestinensi docet. Narravit se discipulis suis etiam Kalevalam Latinam adhibuisse, qua docendi ratione a Ministerio Hungarorum Publicae Instructionis laudem praecipuam meruisse. Eiusdem diei vespere convenit Budapestii societas nomine "Amici Kalevalae carminis" magna hominum frequentia. Professoris Kaukonen acroasis supra iam nominata ibi Hungarice recitata est, post quam auditores, quorum numerus erat circiter octoginta, nobis plurimas de Kalevala eiusque versione Latina quaestiones fecerunt, ad quas interpretibus adiuvantibus respondimus.

Postridie eius diei taxiraeda per campos Hungariae orientalis vecti sumus in urbem Debrecinum (vulgo Debrecen), ubi Institutum Philologiae Classicae, Institutum Studiorum Fenno-Ugricorum, Societas Glottologiae Hungaricae nec non Societas Studiorum Antiquitatis in Seminarium Linguae Latinae Universitatis de L. Kossuth nominatae hospites ad nos audiendos invitaverat. Iam apud mensam, ante orationes habendas more Luculliano ornatam, auribus percipere potuimus, quantum vigeret viva Latinitas Debrecii, cum collega professor Ladislaus Havas nos verbis amicissimis salvere iuberet. Ante coetum hospitum poeta Latinus Béla Németh nobis versus suos "De Kalevala reddita" recitavit, qui ostendunt, quantum Musae quoque Latinae hodie in Hungaria valeant. Post orationes, quae eadem fuerunt quam antea Budapestinensi in Universitate, vivissimum secutum est colloquium Latinum, quod vere rarum est hodie aliis in terris. Conventu finito chorus praesentium nobis Hungarice, Finnice, Latine hos versus Kalevalanos (cantio 44:257-) cantavit:

"Väinö digitis pulsabat,
chelys chordis resonabat:
boant montes, sonant saxa,
tremunt rupes universae,
pini gestiunt gaudentes,
trunci tesquis insultantes."

Quos versus certe ideo elegerant, quod comes meus Väinö Kaukonen, quoad res Kalevalanas, vates est peritissimus principalis carminis heroi Väinömöini iusto iure aequiperandus.

Pars programmatis nostri officialis ita erat iam finita. Restabant lucundissimi cum amicis conventus privati. Post pocula apud professorem linguarum Fenno-Ugricarum emeritum Bélam Kalman sumpta hospites fuimus plurimis cum aliis apud professorem Ladislauum Keresztes, unde multa iam nocte in deversorium nomine Aranybika, i.e. "Aureus bos" revertimus. Mane duce professore Ladislao Jakab tabernas mercatorum circumiimus, unde

pulcherrima textilia Hungarica et optimum vinum Tokaji emimus, cuius lagoena portat pittacium cum textu Latino: "Vinum regum, rex vinorum". Quod verum esse comperimus, cum eo vino ultima Debrecii pocula Budapestinum reddituri complevissemus.

Autoraeda per Viridarium nationale nomine Hortobagy redeentes equos egregios, adhuc hiemali tempestate stabulis gaudentes vidimus et in cauponam rustica (csarda) optima fercula gustavimus.

Dominica 28.2 est Kalevalae dies festus, qui etiam apud Finnos peregre degentes solet celebrari. Postquam ante meridiem doctore Johanne Kodolanyi conducente autoraeada eius castellum Visegrad prope

fines Cecoslovachos situm et monumenta Romana urbis Budapestini vidimus, diem festum apud profestricem Outi Karanko eiusque maritum Belam Pap iucundissime egimus. Fuit nobis etiam festum valedictionis, nam Lunae die aeroplano domum revertimus. Quam felix fuerit iter nostrum Hungaricum, quam benigne nostrae de Kalevala Latina lectiones in Hungaria receptae sint, vel ex eo appareat, quod *Radiophonia Hungarica* unius fere horae programma de nobis in taeniam condidit, quae postea emitteretur.

Granivici 22.3.1988
Thomas PEKKANEN.

DE ITINERE ITALICO

Saturni die 26° m. Aprilis, cum essent in itinere Romano, P. Caelestis Eichenseer Gaiusque Licoppe invitati sunt ad sodales circuli Latini Mediolanensis conveniendos; id quod factum est hora decima antemeridiana in grapheo Iohannis Caroli Rossi. Aderant sodales circuli Mediolanensis, alii viatoribus iam bene noti, alii quos tunc prima vice convenerunt. Etiam venerunt diurnarii qui cupiebant de Latinitate Viva in actis suis referre. De quibus, postquam commentationes in lucem editae sunt, **Claudius PIGA** haec modo ad nos scripsit:



Caelesti Eichenseer atque Gao Licoppe Claudius Piga s.p.d.

Gratias quam plurimas vobis ago, et omnium collegarum verbis qui in nostra Sodalitate Mediolanensi sunt, cum in itinere italicico vobis Mediolani consistere placuerit, die Saturni XVI huius mensis, et convenire nos.

Postquam in Joannis Caroli grapheo congressi sumus iam multi doctrinam vestram et humanitatem mirabamur, etiam magis cum semihora post - ad aedes a doctrina provehenda nuncupatas (*Casa della Cultura*) coacti - rem nostram vel potius Europaeam vos disserentes licuit rursum audire, nonnullis diurnariis astantibus atque audientibus. Ad quorum usum dilucide omnia a Joanne Carolo nostro italicice convertebantur.

Huic addita epistulae invenietis excerpta photomultiplicata ex actis diurnis cui nomen *Il Corriere della Sera* et *Il giornale*, ubi lectoribus

propositum est qua condicione litterae Latinae versentur hodie et quae percontantibus diurnariis locuti estis relata sunt. (*Nota redactorum*: hae commentationes, cum locus desit et lingua Italica conscriptae sint, in hoc Melissae numero non exhibentur). Acta diurna quoque cui nomen *L'Unità* textum iisdem de rebus ediderunt, de quo, quamquam non est in manibus, vobis referre possum cum telephonice certior factus sim ab humanissima secretaria quadam.

En vobis, paucis verbis, quae inveniri possunt his in tribus capitibus.

* In commentatione a Dino Messina diurnario exarata (typis diarii *Il Corriere della Sera*) - cuius inscriptio est *Caesaris lingua rursus diffunditur per Europam, ex colloquio interrogativo omnino Latine habito* - de sermonis Latini usu ad Europaeum cultum consociandum praecipue agitur.

* *Si mente orbem terrarum capere vis, Latine discere*: haec est inscriptio capitinis concinnati a Rossella Malaspina, quod inveniri potest in actis diurnis *Il giornale*. Altera inscriptio, litteris "corporis" minoris exarata, haec refert: *Studiozorum Mediolanensem grex quidam singularis linguam Latinam censem dignam quae publica auctoritate lingua Europae Foederatae futura sit*. Hic fere eadem ac in priore diario nuntiata sunt.

* *"Bene Latino sermoni, male sit Anglo!"*: verba Caelestis professoris (sic): hic est titulus scripti exarati a Chiara Somaini, typis actorum diurnorum cui nomen *L'Unità*, ubi praecipue agitur de imperioso dominatu Americano in rebus ad doctrinam pertinentibus. Titulus rem bene tenere non videtur, tamen fortasse ipsi diurnariae, qua est plus venustate et mente (certe meministis), tribuendus non est, ut plerumque fieri solet.

Restat ut memorem Stephanum nostrum defuisse, cum distineretur scholis quas explicaret in lyceo humanistico Mediolanensi Carducci, quem excusatum habuimus omnes hac de causa, cum scholae illae Graecae et Latinae essent.

Iterum vobis gratias ago pro comitate humanitate benevolentia vestra. Valete quam maxime.

Data a.d. XII Kal. Maias anno MCMLXXXVIII Tritio Abduano.

LIBER IN FINNIA 500 ANNOS NATUS

Hoc anno 1988° liber in Finnia 500 annos complet. Abhinc enim ante quinque saecula sive anno 1488° Missale Aboense, primus liber impressus Finnorum, Lubecae in Germania ex officina typographica Bartholoméi Ghotan in lucem prodiit. Editio facta est mandatu episcopi dioecesis Aboensis Conradi Bitz, qui auxilio novi libri res ad cultum Dei pertinentes in omnibus ecclesiis Finniae in eandem formam afferre voluit.

Missale Aboense, opus typographia pulcherrimum et ex 266 foliis constans, unicum specimen incunabulorum sive librorum ante annum 1500^{um} typis mandatorum in Finnia est. Etiam alter liber, qui vergente Medio Aevo peregre impressus est, Latine scriptus et ad usum ecclesiasticum Finnorum propositus erat. Id erat Manuale Aboense, opus magnum anno 1522° Halberstadti in Prussia editum.

Missale Aboense in membranis et in charta impressum est. Numerus exemplarium originalium non satis constat, sed creditur admodum magnus fuisse, quod cuique ecclesiae uno exemplo opus erat.

De originalibus non multum hodie restat: unicum exemplar originale membranaceum fere integrum Hafniae Danorum exstat. Duo exemplaria ex fragmentis composita in bibliotheca universitatis Helsinkiensis inveniuntur.

Ad memoriam anniversarii quingentesimi libri sui primi hoc anno Finni editionem novam Missalis Aboensis similem originali paraverunt et annum festum variis expositionibus librorum instituendis non solum in patria sed etiam peregre celebrant, E.g. velut in Germania Occidentali (Hannoverae, Goettingae), Austria, Helvetia expositio librorum Finnorum circumagit. Ad expositiones promulgandas libellus cum textu Latino "Libri Finnorum annis 1488-1988" praeparatus est. Cui rei lingua Latina optime convenit, quod monumenta prima litterarum Finnorum Latine scripta sunt.

Gregorius (Reijo) PITKÄRANTA
Helsinkiensis

LITTERAE APERTAE DE PRONUNTIATU LATINO

Birgitta et Iohannes GRANATAE (Italice Granata) Patri Francisco Fabrimontano (Germanice Schmidtberger), Praefecto Fraternitatis Sacerdotalis Sancti Pii X¹ et omnibus sacerdotibus qui usum linguae Latinae servaverunt sal. plur. dic. SVBENQV.

Optimi Patres,

Certe novistis ante saeculum nostrum pronuntiatus Latinos nationales esse: unusquisque pronuntiatus Latinus sistema suum habebat, quod minime a systemate linguae nationalis differebat.

Professor M. Mangold Saravipontanus haec optime exponit² et sic pergit: "ante primum bellum universale et postea complures conati sunt pronuntiatum classicum Ciceronianum restituere". Hodie -inquit- pronuntiatus restitutus omni orbe terrarum, quamquam levissimis differentiis in variis civitatibus, adhibetur.

Contra hanc propensionem, vos videmini generaliter pronuntiatum Italicum servare ...

Ratio vestra esse videtur, Pium X³ pronuntiatum Italicum Ecclesiae Romanae imperavisse⁴. Sed tempore Pii X⁵, ut Professor Caelestis Eichenseer, praeses Societatis Latinae⁶, scribit, "investigationes nondum erant peractae, quales decenniis huius saeculi summa subtilitate peractae sunt"⁷.

Optimus Caelestis Eichenseer scribit⁸: "Illa fabula, pia quidem, sed ficticia et falsa, quam Cardinalis Antonius Bacci primus proposuisse videtur anno 1962⁹, usque reiteratur, qua dicitur Latinus pronuntiatus Romanus idemque Vaticanus, qui nunc est in usu -quantum adhuc est in usu nimis exiguo nimisque raro-, iam ineunte quarto post Christum natum saeculo extitisse atque ex illo tempore Romae servatus esse et conservatus. Secundum hanc opinionem parum seriam pronuntiatus Latinus tribus quattuorve saeculis

p.Chr.n. plus mutatus esse computatur quam saeculis septendecim insequentibus, quibus tot condiciones populorum Italiae et Europae funditus mutatae sunt mundique scaena (ut ait Erasmus Roterodamus) inversa est¹⁰. Constat autem satis multis testimonis et documentis antiquis pronuntiatum saeculi quarti p.Chr.n. pronuntiatui Latinitatis aureae multo propinquorem fuisse quam ei pronuntiatui Latino, qui nunc est in usu tam in urbe Roma quam in urbe Vaticana. Quas pronuntiatus condiciones saeculi quinti p.Chr.n. Albertus Vaccari, vir doctissimus atque litteratissimus, paucis exemplis Hieronymianis et descriptis et demonstravit duabus fere septimanis post sententias Antonii Bacci Cardinalis publice prolatas.¹¹ Litterae hae vobis scriptae sunt, ut rem diligenter consideretis. Pronuntiatus Italicus dogmaticus non est, et rationes diversae hortantur ut pronuntiatus restitutus etiam in sacris¹² adhibeatur: 1) pronuntiatus restitutus iam communis omnibus in mundo Latine loquentibus est, communem vim Latine percipiendi permittit, et facilimus est; 2) pronuntiatus restitutus saltem usque ad doctores Ecclesiae (e.g. Augustinum et Hieronymum [vide supra]) saeculi quarti et saeculi quinti adhibebatur; 3) "qui vero -ut Optimus Caelestis Eichenseer scribit¹³- propter sensus quosdam religiositatis nequaquam despiciendos ad pronuntiatum "paganicum" vel "ethnicum sive ethnicalem" (ut aiunt) adhibendum transire dubitat et cunctatur, recordetur oportet pronuntiatum "restitutum", qui dicitur, tum temporis in usu fuisse, cum Christus Iesus nasceretur in plenitudine temporis (cfr VULG. Gal. 4,4; Eph. 1,10). Est ergo illud tempus nativitatis et vitae et mortis Iesu Christi per eundem Salvatorem et Redemptorem specialiter significanter sacramum. Illud igitur tempus cum respexerimus tamquam (sequitur p. 13)

SINE ME HINC ABIRE; TU ABI TACITUS
TUAM VIAM, NEQUE TU ME CUIQUAM INDICASSIS,
NEQUE EGO TIBI QUICQUAM DABO. TU TACETO;
EGO MUSSITABO. HOC OPTIMUM ATQUE
AEQUISSIMUM EST.



ECQUID CONDICONIS AUDES FERRE?



IAM DUDUM FERO: UT ABEAS, RUDEN-
TEM AMITTAS, MIHI MOLESTUS NE SIES.

MANE, DUM REFERO
CONDICONEM.



TE, OPSECRO HERCLE, AUFER MODO.



O ERE, SALVE !

SALVE, GRIPPE. QUID FIT



TUUSNE HIC SERVUS EST ?

MEUS EST.



EM, ISTUC OPTIME, QUANDO TUUST. ILLUM
QUEM DUDUM E FANO FORAS LENONEM
EXTRUSISTI, HIC EIUS VIDULUM ECCILUM
TENET.

NON HABEO.

NEGAS QUOD OCULIS VIDEO.

AT NE VIDEAS VELIM. HABEO,
NON HABEO: QUID TU ME CURAS
QUID RERUM GERAM ?



EA QUAE OLIM PARVA GESTAVIT CREPUNDIA,
ISTIC IN ISTA CISTRINA INSUNT, QUAE ISTIC
INEST IN VIDULO. HOC NEQUE ISTI USUST, ET
ILLI MISERAEE SUPPETIAS FERET, SI ID DE-
DERIT, QUI SUOS PARENTIS QUAERAT.

QUOMODO HABEAS, ID REFERT
IURENE ANNE INIURIA.

SI IN MARI RETI APPREHENDI,
QUI TUUM POTIUST QUAM MEUM ?



FACIAM UT DET; TACE.

NIHL HERCLE EGO SUM
ISTI DATUS.

CAVE MAIO AC TACE TU. TU
PERGE UT OCCEPISTI DICERE.





De Arturo Rimbaldeo versificatore Latino.

Recognoscenti carmina Latina ac percensenti, quae inde a litteris renatis ad nostra usque tempora sunt condita, mira fortasse videbitur priorum copia, inopia recentiorum; ipsi roganti unde haec sit facta deminutio, responderit aliquis inimicitias poetis Latinis in annos intercessisse graviores cum eis, qui litteras patrias propugnarent; scriptores vulgares necessario superasse; ipsam Camenam aevo fessam senioque oppressam debilorem evasisse. Cui equidem iudici in universum aestimanti adsensus, opposuerim tamen poesim recentiorem a nullo fere lectam et adhuc vix esse investigatam; de ea igitur praejudicatam extare opinionem potius quam consultam meditatamque sententiam. Non enim fieri potest quin herbas inter inutiles flosculi aliquando exierint humiles pristinaeque gratiae et coloris tenaces. Nam ut (quoniam de Francogallo erit agendum) Francogallos iam attingam, si saeculo XIX° defuerunt poetae bilingues cum Bellalii Doratisve comparandi, carmina tamen scholastica reliquerunt Iohannes Jaurès, vir rerum civilium peritissimus, Carolus Augustinus Sainte-Beuve, litterarum existumator apud omnes gratiosus. Alafridus de Musset, Carolus Baldelarius, Arturus Rimbaldeus, poetae clarissimi. Quorum iuvenilia, quamquam sine afflato divino plerumque fuere, benigniorem nonnumquam habent materiem. Novissimum enim poetam et bilinguem dixerim Andream Chénier (+1794); at eius versus lasciviores sunt quam ut hic laudari possint. Quem qui postea secuti sunt, versificatores fuerunt, quos ego nec maximi fecerim nec nihil pependerim. Iuvat enim scrutari versificandi leges ac normas, quibus illi a teneris ut aiunt unguiculis fuerint imbuti, et explorare locos unde sumpserunt quod imitarentur, iuvat denique, qui litterarum famam sint consecuti, eorum pueriles respicere disciplinas et artium ingenuarum perspicere primitias.

Constat inter viros doctos Baldelari "Franciscae meae laudes" laude esse dignas; quos versus amoeniores numerisque "Diei trae" non dissimiles nuper tractavit Iohannes Öberg academicus professor eosdemque in his "Melissae" libellis nuperrime divulgavit Francisca Deraedt philologa. Cur id genus versiculos lusisset ipse nos docuit poeta in libro quem

"Les fleurs du mal" Francogallice inscripsit: scriptores infimae Latinitatis eos esse sentiebat, a quibus adfectus animi et perturbationes apte et feliciter essent expressae.

Id Iohannes Richépin poeta ubi rescivit, eiusmodi et ipse versibus Baldelari memoriam colere instituit:

Cum vocabulis barbariae
iam tabe tinctae tam varie
te cantabo, Baldelarie. (sic) (...)

Idcirco a nobis amaris,
feminea figura maris,
dura dulcedo in amaris. (...)

(In honorem Baldelarii novempedalis prosa,
v. 1-3; 10-12)

At et "adsuetis cantavit chordis" Baldelarius, in schola cum versaretur. Nam annis 1836° et 1837° adulescens annorum sedecim in ea certamina communia, quae "Concours généraux" dicunt Francogalli, ter descendit, qui iussa argumenta versibus scriberet hexametris, ter a victoribus proximus recessit. Emendatos enim versus pepigit de monte ignem prodente nec non de victoria quadam Graecis inter Nemea renuntiata. At mea quidem sententia praestat locus quidam e Francisco Renato de Chateaubriand excerptus atque a tirone illo versibus donatus; ita enim incipit:

Cum dirus trepidis incumberet undique terror
civibus et vigili palleret Gallia cura
ut sua subtraheret plebetae colla securi,
e miseris unus patrios fugisse penates
dicitur incertamque in aquis temptasse salutem.

Nonne versus ii heroii Lucretium sapient de religionis victoria Epicurea in primo libro "De rerum natura" pangentem? Accedit quod sidem nescio quo modo in memoriam reducunt meam huncce nobilissimum: "Quand le ciel bas et lourd pèse comme un couvercle..."

Quod ad Baldelarium pertinet, hactenus; reliqui quattuor me poscunt. Anno 1822° Carolus Augustinus Sainte-Beuve de Petro Magno Russorum imperatore urbem Lutetiam Parisiorum invisente atque ad Armandi Richelieu sepulchri monumentum

meditante hos inter alios scripsit versus:
 Sim licet externus, facit admiratio civem !
 Quin, utinam nostros tua convenisset in annos
 vita nec insigni fraudassent munera fata !
 Regnum ego dimidium laetus tibi, magne,
 dedissem,
 tu mihi regnandi leges reliquumque regendi.
 (v. 44-49)

Alafridus autem de Musset anno 1825° Clodovaeum, postquam Dei ad cultum sese convertit, non invenuste induxit apud milites contionantem:
 Si tamen interea tantae impar Gallia causae deficit et propriae nutat sub pondere laudis, auxilium feret ipse Deus memor usque suorum. Ergo, sacerdotes, meritis persolvite grates muneribus, digno caleant altaria ture pacatumque plis celebremus cantibus orbem.
 (v. 24-29)

Tum LIII post annis Iohannes Jaurès nonnulla tritissimo illi argumento convenientia poetice disputavit, quod est de condicione humanae miseria:
 Neququam a prima nascentis origine mundi quam tristi aeternum volvat mortalia lege, quam fallax nobis ignota irrideat hora, mortales docuit longa experientia rerum. Neququam, si praeteritum mens respicit aevum, gaudia miratur citius marcessere flore ac luctum miseris longumque haerere dolorem, et folia esse homines rapidis ludibria ventis.
 (v. 14-21)

Quod carmen numeris perfectum sere atque absolutum esse neque arte carere poetica fusius ante hos annos contendit Iohannes Soubiran, talium rerum iudex et magister fidelis.

Reliquum est ut Arturi Rimbaldi primitias attingam Latinas, quas Iulius Mouquet anno 1932° typis excudendas curavit. Sunt igitur poemata quinque, versus autem hexametri ducenti octoginta quattuor, quos Arturus adulescens nondum sedecennis pepigit annis 1868°, 1869°, 1870°. Argumenta autem non libere eligebat, sed aut versus Francogallicos Latine vertebat, aut locum quandam e carmine antiquo excerptum amplificabat, aut materiam a magistris verbis paucissimis propositam includebat versibus. Accedit quod certum temporis spatium, horarum sere ternum semis, discipulo ad faciendos versus erat assignatum: quae res maximas certo illi difficultates attulisset, nisi "Gradum ad Parnassum" altaque id genus ἔγχειρδια in manibus habuisset.

Primo igitur carmine de somnio quodam Horati pueri (cf. Hor. carm. 3,4) Arturo erat agendum; quod periculum discipulus non inglorie superavit, fortasse quia se Horatium quasi quandam redivivum fore superabat:

Ecce mihi patuit caelum visusque repente attonito voltans super aurea nubila Phoebus divina vocale manu praetendere plectrum. Tum capitl inscripsit caelesti haec nomina flamma:

TU VATES ERIS... In nostros se subicit artus tum calor insolitus ceu puro splendida vitro solis inardescit radiis vis limpida fontis. (v. 49-55)

Deinde e Francogallicis carminibus convertit - non isdem verbis - Reboulum (J. Reboul) et Iacobum ab Insulis (J. Delille). Priore in imitatione Rimbaldius Reboli secutus exemplum (quo memoria renovatur "Lemurum regis" Goetheani ab Henrico Paoli ornatissime translati in Latinum) suaviores excogitavit versus nonnullos, velut hos:

Languidulus tacuit puer; illum lectulus ambit plumeus et circa crepitacula garrula terra, illorumque memor felicia somnia carpit donaque caelicolum matris post dona receptat.
 (v. 4-7)

Idem Lucretio (4,1133-1134) poetae, cuius prohemium anno 1869° Francogallice vertit, omnibus fere verbis Sullio Prudhomme surreptis, Lucretio, inquam, poetae non male est aemulatus, verbis additis oxymoris:

... Numquam sincera remulcent gaudia mortales; ex ipso floris odore surgit amari aliquid commotaque corda iuvantur tristis laetitia ... (v. 18-21)

Interpretes autem Iacobi ab Insulis Latini fuere saeculo XIX° quamplurimi: statim videbit qui commentarios eis temporibus Latine editos vel strictim replicabit. Rimbaldi atqui versio reliquis elegantia nec superior neque inferior mihi videtur esse; sparsa est enim aliquibus artis Vergiliiane luminibus:

At pudor instimulat numen fluviale decusque nominis eversi; presso sub corde dolore restitit; ardenti fulgent fera lumina luce: frons exurgit atrox ventosque armata lacessit; mugit et horrendis mugitibus adfremet aether
 (v. 24-28)

Quibus versibus Acheloii fluminis ira cum Hercule pugnantis vivide est depicta.

Tum Arturus a° 1869° mense Quintili res Iugurthinas versibus persequi füssus consilium cepit audaciū ut Iugurtham induceret loquentem et res a se gestas narrantem; eundem finxit cum Abd-el-Kader phylarcho et sultano (1803-1883) colloquenter ac vaticinanter: sultanum illum acre cum Francogallis gessurum esse bellum et, accepta clade, in carcere iri retentum; rursus eum iussu Napoleonis imperatoris (eius nominis tertii) vinculis exemptum atque in civitatem Francogallicam iri acceptum. Quod carmen inventione singulare, dispositione admirabile, elocutione interdum egregium et venustum, praeconio haud scio an sit dignum. Arriserunt enim mihi versus ei saepe repetiti:

Nascitur Arabiis ingens in collibus infans et dixit levis aura "Nepos est ille Iugurtha".

Praeterea hocce poematio carmina Iohannis Pascoli, poetae multo maioris, quodammodo praenuntiantur. Tamen inficiari non ausim multos etiam ex hoc carmine colligi posse versiculos male tornatos.

Quintum denique carmen ex anonymi cuiusdam versibus Francogallicis Latine factum minus mihi placuit, quod et scatebat verbis inanibus funeturisque tritissimis, et praeter numeros vix inveniebatur quod poeseos nomine dignum esset:

Tempus erat quo Nazareth habitabat Iesus:
crescebat virtute puer, crescebat et annis.
Mane novo quondam, vici cum tecta ruberent,
exit e lecto per cuncta oppressa sopore,
munus ut exactum surgens reperiret Ioseph.

(v. 1-5)

Fertur Rimbaldius in excogitandis et componendis versibus fuisse facilis; de animo eius inde a puero ad unam poesim prono praeceptores uno ore consenserunt. Fuerunt porro qui poema illud celeberrimum, cui "Bateau ivre" est titulus, tam Latinum esse ducerent, ut idem Latinis donarint versibus. Extat etiam testimonium amicorum quorundam poetae, qui contendenterunt Arturum olim, cum reliqui discipuli, praesente magistro, sudantes laborarent quomodo geometricum problema enodarent, Arturum, inquam, versificationi indulsisse Latinae miraque cum celeritate heroos cum ad suum, tum condiscipulorum ad usum procudere suevisse. Esto. Quae enim carmina manserunt, ea munditiis interdum insigniuntur. At eadem et vitia habent et maculas, quae cum in puero sint ignoscendae et tolerabiles, non tamen sunt dissimulanda. Namque menda prosodiaca legenti occurunt aliquot, quorum illud est gravissimum, quod heroicis verbo "imperatoris" terminatus semel est admissus: "At novus Arabilis vitor nunc imperatoris"; displicet etiam ultima syllaba vocis "venustate" producta: "Mixta venustate gravitas; vigor emicat armis"; nec satis commendabilem duxerim nominis "Nazareth" mensuram: "Tempus erat quo Nazareth habitabat Iesus"; librarii denique (ut appareat) menda ita tollantur, ut legas p. 57 v. 5 "Munus ut exactum surgens reperiret Ioseph", p. 59 v. 31 "Candida purpureo maculatur sanguine vestis", p. 29 v. 37 "Intravere brevi positum viglemque relinquunt". Praeter eos in prosodiam errores Rimbaldio leviter obiecerim quod

perraro diri tacuerunt tela magistri
plagaque saepe sonans nostras peruenit ad aures.
(cf. p. 25 v. 2-3)

Quod facile colligere poteris tum ex polyptotis verborumve geminationibus in tam paucis versibus tam saepe repetitis (p. 33 v. 13 "Gaudia miratus, miratus gaudia mentis"; p. 35 v. 28 "Subiectosque homines hominumque tuebere fluctus"; p. 37 v. 53 "Subridet subridenti: mox aere lapsus"; v. 55 "Illaque divinis conectit labra labellis"; p. 49 v. 32, "Roma aggressa fuit sensim sensimque latente"; v. 38 "Illa meis iacuit, iacuit terra ebria donis"), tum e verbis ordine illo poetico nimium saepe collocatis (p. 25 v. 4 "Nec ferula assiduo cruciabat membra dolore; v. 7 "Blanda fatigatam recrearunt gaudia mentem"; v. 11 "Laetaque vernantis miracula cernere terrae; v. 13 "Maiores parvo capiebam pectore sensus"), tum ex inanibus numerorum complementis, ex verbis non ita bene electis temereque ac praecipitanter e "Gradu ad Parnassum" depromptis et (ne singula persequar) e

sententiis tam quod ad subiecta quam quod ad verborum tempora pertinet aliqua cum negligentia nonnumquam inter se nexit.

Quare, si Rimbaldi versiculos Baldelario Jauresiove contuleris, illum ab his victum dices; sin autem Rimbaldium Jauresium Mussetium Baldelariumque cum alitis compararis tironibus, illos dubio procul comperies multo feliciores fuisse ceteris, quibus carmina erant componenda, adulescentibus de quibus Petrus Rossignol in primo libro "Vitae scholasticae" anno 1836° editae haec:

Aegre luctatur brevibus componere longas,
carmina sed tantum male condita carmina cudit.

Librorum et commentationum index.

- Ch. Baudelaire, Vers latins (...) suivies de compositions latines de Sainte-Beuve et Alfred de Musset. Introduction et notes par Jules Mouquet (Lutetiae Parisiorum, 1933); videoas etiam Baudelaire, Oeuvres complètes, I, texte ét., prés. et annoté par Claude Pichois (Biblioth. de la Pléiade) (Lutetiae Par., 1975), p. 61-62, 225-237, 940-942, 1270-1273.
- J. Reymond, "Vers latins de poètes français", Revue des Etudes Latines, 19 (1941), p. 34-35.
- J. Oberg, "Baudelaire als mittellateinischer Dichter", in Kontinuität und Wandel: Lateinische Poesie von Naevius bis Baudelaire - F. Munari zum 65. Geburtstag, ed. U.J. Stache, W. Maaz, F. Wagner (Hildesheim, 1986), p. 691-698.
- I.C. Rossi, "Carolus Baudelaire: Franciscae meae laudes", Latinitas, 35 (1987), p. 68-70; F. Deraedt, "Franciscae meae laudes. C. Baudelaire", Melissa, 22 (m. Ian. a° 1988°), p. 11; M. d'Hane-Scheltema, "Franciscae meae laudes van Charles Baudelaire", Hermeneus, 46 (1974-1975), p. 171-173; C.J. Vooys, "Baudelaire herdacht", Hermeneus, 29 (1957-1958), p. 69-72; M. Rutgers van der Looff, "Franciscae meae laudes van Baudelaire", Hermeneus, 38 (1966-1967), p. 232-233.
- A. Chénier, Oeuvres complètes, éd. G. Walter (Bibl. de la Pléiade) (Lutetiae Parisiorum, 1966), p. 616-619.
- J. Soubiran, "Un centenaire: les vers latins de Jean Jaurès au concours général de 1878", Pallas, 25 (1978), p. 81-96.
- J. Richépin, "In honorem Baldelarii novempedalis prosa", in Le tombeau de Charles Baudelaire, ouvrage publié avec la collaboration de Stéphane Mallarmé (...) (Lutetiae Parisorum, 1896), p. 68-69.
- J.P. Guépin, "Rimbaud en de klassieken", Hermeneus, 33 (1961-1962), p. 64-73; H. W. Meyerstein, "The Latinity of Bateau ivre", Durham University Journal, 1 (1940) (qua commentatione continetur etiam Latina Francogallici carminis interpretatio).
- Arthur Rimbaud, Vers de collège. Introduction et notes par Jules Mouquet (Lutetiae Paris., 1932) - adduntur versus Alafredi Mabille, Rimbaldi condiscipuli. In utroque autem Iuli Mouquet libello commentationes quaedam et libri laudantur vetustiores.
- Iohannes Petrus Rossignol, Vita scholastica (Lutetiae Parisiorum, 1836).

(sequitur p. 7)

metam constitutivam in pronuntiatu vere Latino, eoque, quantum fieri potest, uniformi, vix ulla dissentionum causa restabit tam Christianorum cunctorum quam philologorum plerorumque."

Optime de lingua Latina vos meriti estis, qui eam in sacris servaveritis. Etiam plus merebimini, si unitati eius pronuntiatus operam dederitis.

Dabamus Aquis Sextiis, postridie Id. Mart. anno 1988°.

(Inscriptio nostra : 15 rue de Provence, F. 13090 Aquae Sextiae, Gallia).

(1) Maison Saint Nicolas de Flüe, CH-4613 Rickenbach, Helvetia.

(2) "Latinitas Viva, Libellus textualis phonocasetae nonae, de pronuntiatu Latino", Domus editoria: Societas latina, Universität - FR 6.3, D-6600 Saarbrücken 11, Germania.

(3) Litterae nobis a Patre Bernardo Tissier de Mallerais (eius inscriptio eadem est ac in adnotatione prima) die IV Febr. anno 1988° missae. (Sed quid de scholis vestris? Conceditisne pronuntiatum restitutum in scholis adhiberi posse, ut postea in seminaris vestris relinquatur?)

(4) Elius inscriptio eadem ac in adnotatione secunda est.

(5) Litterae nobis ab Optimo Caelesti Eichenseer die XIII Febr. anno 1988° missae.

(6) "Latinitas Viva, libellus textualis phonocasetae decimae Latinarum lectionum Nataliciarum". Eadem domus editoria atque in adnotatione secunda.

(7) "L'osservatore Romano" dierum XXVI et XXVI Febr. anno 1962°, pag. III.

(8) "Dialogus Abbatis et eruditae" (a. 1524°): Opera omnia, Ordinis primi tomus tertius, Amstelodanum, anno 1972°.

(9) "L'osservatore Romano", XIV Mar. anno 1962°, pag. V.

(10) Etiam cantus Gregorianus secundum pronuntiatum restitutum cani potest. Phonocaseta adnotationis sextae experimentum huius generis est.

(11) "Vox Latina", Tomus XXIII, Fasc. LXXXVII, anno 1987, pag. 150. Eadem domus editoria atque in adnotatione secunda.

De Kalevala Latine redditæ

Salvete, vates, qui decus artium,
Lönrote magne, et tu quoque Pekkanen,
Finnis et orbi detulisti
A Boreis super astra motum.

Vivit venustas, vivit amica vis
Docti senis, nec inferior faber,
Nec cedit Ilmarinen illis,
Quae peperere dies moderni.

Lucem volantem, si quis abest dolor,
Pulchrumque solem, qui fugiat bonus ?!
Gaudete vos, voces Latinae,
Et Kalevalae decorate gentem !

scripsit Béla NEMETH
Hungarus.

Centrum internationale Paedagogiae Fovendae convenimus

cursus

Centrum Internationale Paedagogiae Fovendae est organizatio, a Re Publica probata, quae adiumentum affert inceptis paedagogicis. Hucus centri parti Belgicae praeest Professor Strivay Leodiensis, emeritus. Qui, cum paedagogiae Latinae etiam faveret, litteras nuper misit et ad Iacinam Verreet, moderatricem periodici c.t. "Nunc est Gaudendum" necnon sodalem nostram, et ad Fundationem Melissam. De inceptis nostris certior fieri volebat, ut cooperationem inter nos fortasse instituere possemus. Ergo dies constitutus est.

Die 22° m. Aprilis, Iacina egoque a Professore Strivay eliusque collaboratoribus benignissime acceptae sumus. Hunc gratum conventum participabant, praeter Professorem Strivay eliusque adiutorem Dominum Simonis, Professores Cavenaille, ex universitate Leodiensi, auctor famosae methodi linguae Graecae docendae, Etienne, praefectus scholae, qui notissimum lexicon Latinum

conscripsit, et Josserand, suis libris exercitationum Latinarum optime notus. Qui nobis multis in rebus assentiebantur: institutionem Latinam toti Europae suscipiendam esse, ne singuli conatus in angustias compellantur; linguam Latinam methodo auditivo-oralis optime doceri posse - quamvis officialiter non liceat, vide Melissam n° 23° - atque ita vividorem apparere; Latinitatis vivae institutionem, nisi in scholis, saltem aliis locis offerendam esse.

In universitate "tertiae aetatis", vel "temporis subsicivi", cursus libenter instituent, si eis magistrum aptum praebebimus. Si quis nostrorum Leodiensium sodalium hoc officium suscipere cupit, ad nos scribat!

Ergo videmus Latinitatem non undique respui spemque non deponendam esse

De rebus mirabilibus Gandavensibus

Agnus Dei (tabula picta)

Alterum ambulationis peregeticae Gandavensis capitulum (cf Melissa n° 23º) lectoribus proponimus: nam Lucas DEVOLDERE nobis etiam explicavit tabulam ab Huberto Iohanneque ab Eyck pictam.

2. Polupticon "Agnus Dei", ab Huberto ab Eyck inceptum et a fratre eius Iohanne perfectum, a. 1432 perpetratum et affixum est in hac ecclesia. Modo allegorico redemptionem mundi ab immolato Iesu Christo, sc. agno, proponit. Haec tabula picta, vix servata ab iconoclastis, rapta a Francogallicis, vendita et peregrinata -ut alia omittam, a. 1945 in salinis Austriacis reperta est- olim altari affixa erat in sacello ab altera parte ecclesiae. Quod sacellum erectum est a Judoco Vyd, patricio Gandavensi, qui mandatum pingendae tabulae dedit et pretium solvit. Nunc tabula, huc nuperrime translata est salutis et incolumitatis causa. Argentaria, cui nomen est "American Express", pecuniam translationis solvit. Tandem tuto sed ineleganter mea sententia in opere camentico inclusa et vitro coniecta est. Ceterum dolendum est quod polupticon iam claudi nequit, et clausum a contemplatore adspici debet ut deinde sicut mysterium aperiatur. Sed ad tabulam ipsam *implacari* redeamus.

Polupticon ergo nobis transfigurationem redemptionis generis humani a sacrificio Agni Dei, id est Iesu, ostendit.

Cum aperiatur -et nos apertum videmus- conspicimus ab alto, a sinistra Adam, a dextra Eva: protoplastos generis nostri. Eorum nuditas miserabilis et pudens paene exclamat paenitentiam post peccatum, quod erat causa redemptionis. Et ideo locum eximium in imagine postulant. In inscriptionibus haud facilime legitur infra Adam: Adam nos in morte precipitavit; infra Eva: Eva occidendo obfuit (sc. nobis. Ex Augustino qui hanc comparavit cum virginē, dicens: Maria vivificando profuit).



Eva occidendo obfuit

Imperator austriacus Iosephus secundus, cui cognomen templi custos sive sacrarius fuit, erubuit intuens has tabulas et iussit castiores effici -sic dicitur- quas alibi in ecclesia invenire possitis.

In medio sedet Deus, pater omnipotens, tiaram pontificis ferens, ut alii ferunt. Alii autem Deum filium et nonnulli etiam Trinitatem interpretantur. Adsedentes videtis Mariam, matrem Dei et Iohannem Baptistam, praecursorem Iesu. Qui omnes circumventi ab angelis cantantibus et organum et alia instrumenta tractantibus. Iohannes in manibus tenet librum Prophetarum et prima vox capituli 40 libri Iesaiæ (Consolamini) legibilis est ei qui accuratissime inspicit.



In medio sedet Deus...

In meditullio tabulae inferioris, supra altare, agnum conspicimus, circumductum ab angelis, quorum quattuor Passionis tormenta afferunt: crucem in quam actus, lanceam qua transfixus, spongiam qua sitis eius expleta est et columnam prope quam verberabatur.

Super Agnum columbam, id est Spiritum Sanctum, adoramus qui radios amoris divini dirigit in omnes credentes.

Infra altare aquas salientes videtis, scilicet fontem vitae, laudem Agni murmure eius canentem.

Agnus adoratur a legionibus quattuor hominum seminarumque. Infra a sinistra conspicitis cohortes prophetarum Veteris Testamenti, Iudeorum sed etiam gentilium, in quibus druidae, philosophi necnon Vergilius pingi possint. Summatim, omnes qui, ante revelationem divinam, Deum Unum et Individualis acceperunt. Infra a dextra credentes et confitentes Christiani Novi Testamenti: apostoli, sancti, pontifices, monachi, sacerdotes et ceteri. Supra a sinistra et a dextra viri feminaeque accedunt, palmas ferentes: martyres sunt qui sanguinem suum

profundem

sparserunt. Bene insipienti e.g. Sancta Barbara, turrim in manibus ferens, animadverteri potest.

In tabulis adiectis videtis a sinistra milites Christi, defensores fidei, et iustos iudices, inter quos forsitan pictor ipse se effinxit. Haec tabula, maxime a sinistra, imitatio est, nam vera anno 1937 furtim ablata est et adhuc eheu non reperta. A dextra heremitas et peregrinos sanctos, terram exoticam peregrinantes, conspiciatis.

Nunc accedamus ad latus posterius, quod re vera latus exterior est cum polupticon claudatur. Quod eheu in posterum fieri non iam potest. Ne ergo oblitis sitis tabulas quas nunc scissas admiramur re vera coagulatas adspici oportere et vice versa, id est dextram tabulam a sinistra et sinistram a dextra, et extremas... attiguas. Infra videtis genua flectentes et orantes donatores opifici: J^{ohannes} Vyd, patricium et magistratum Gandavensem, et uxorem eius Elisabetam Borluut. Adstantes, picto modo illo cinereo, Iohannes Baptista et Iohannes Evangelista. Baptista quia tunc temporis patronus huius ecclesiae erat et Evangelista quia pictores in efficienda tabula eius afflatus probabiliter permoverebantur. Nam scribit ille auctor obscurus in libro Apocalypses: "...vidi turbam magnam... stantes ante thronum et in conspectu Agni,... Agnus qui in medio throni est, reget illos et deducet illos ad vitae fontes aquarum et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum (7,9-17 passim)". Supra cogitare Annuntiationem debetis, sed vice versa et, sicut supra memoravi, modo fatali scissam propter statum poluptici aperti. Angelus genua flectit et "Ave Gracie", inquit, "plena Dominus tecum". Virgo respondet, leviter retro gradiens et simul accipiens: "Ecce ancilla Domini". Per fenestram urbem aliquam (Gandavum?) videamus. Altera tabula, quae re vera attigua illi debet esse, ostendit parvum labrum et mantele: naturam mortuam, ut modo francogallico dicitur. In forniciibus superioribus prophetas et Sybillas conspicimus, vaticinantes Regem e Virgine oriturum.

Peroremus.



"Ecce ancilla Domini"

Haec tabula picta est breviarum totius Medii Aevi:

Summa Theologica est: Incarnatio Domini, "velati sub carne" ut dicitur, genus humanum a peccato originali in aeternitatem redemit et liberavit. Propterea omnia -homines et res- adorant, glorificant Agnum Dei, hircum emissarium et liberatorem, victimam et dominum. Ille se sacrificans, nobis novum caelum, novam terram promisit.

Speculum historiae est: vera "epitome" historiae sacrae.

Speculum naturae est: 42 species herbarum et stirpium exstant.

Et postremo Summa Picturae est: varia genera artis pingendi ut effigies, natura mortua et natura picta modo mirabili exhibentur. Sed, ne omnia praeteriream, qualis magnitudo visionis! Qualis amor rerum minimarum! Vide flores, ludum umbrarum, dispositionem tunicae supra corpus, res humiles. Quae serenitas hominum et luxuria togarum! Quaevis varietas colorum et facierum! Quod artificium in pingendis gemmis, pannis, omnis materia! Uno verbo: adscensus numquam dubitans ad macrocosmum ac patiens benignusque descensus in microcosmum in hac tabula confunduntur. Quod est rarissimum. Sunt qui susurrent angelos, "quando iudex est venturus" id est in die Irae sive summi iudicii, hoc artificium, una cum tabula ablata, in Paradisum deducuros!

Lucas DEVOLDERE

AMOR DOCET MUSICAM

Ea, quae inter Ludos Latinos m. Oct. a° 1986° Frisingae habitos acta sunt, nunc libro a Valahfrido Stroh conscripto commemorantur. Fabellas carmina que fortasse, si Ludos participavistis, tunc temporis spectavistis, nunc in libro c.t. "Amor in Monte Docto" legere potestis. Si quis hunc librum emere cupit, 16.80 Marcus Germanicas mittat ad: Frisinga Verlag, Postfach 1344, D-8050 FREISING.





UBI CONDISCATUR LATINE LOQUI

SEMINARIA LATINA

Dr P.Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur tria seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

-24/7 - 30/7/1988, Morsaci (Morschach) in HELVETIA, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Regionum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH
Aeschistr. 6
CH- 3110 Münsingen
Tel. 031/920823

- 8/8 - 13/8/1987, Bottropii (Bottrop), in urbe Rhenaniae Vestfalicae, quod seminarium fit in domo commodissima et pericunda. Ad quod participandum, interrogandus est:

Rochus Habitzky
Albertus-Magnus-Strasse, 7
D-4100 DUISBURG 25
Tel. 0203/781430

***Lexica Francogallicum et Italianum
nunc apud Melissam venumdantur!***



MELISSAE

LEXICON MINUS
LATINITATIS
MODERNAE
Latino-Francogallicum
Francogallico-Latinum

DOMUS EDITORIA " FUNDATIO MELISSA"
1988



MELISSA

LEXICON MINUS
LATINITATIS
MODERNAE
Latino-Italianum
Italiano-Latinum

DOMUS EDITORIA " FUNDATIO MELISSA "
1988

a Heidecke

CAVETE MUTATIONEM !

De seminario Vestendensi: nuntiandum est seminarium a¹ 1988^t habitum iri, non iam a Saturni die in Saturni diem, sed a Veneris die 12° in Veneris diem 19^{um} m. Augusti, iussu aedium "Zon en Zee" rectorum.

12/8 - 19/8/1988, Vestendae in BELGICA

(ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvo constant. Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE
Av. de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/7350408

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam:
VOX LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland.

Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis devversoriis vel hospitiis.

FERIAE LATINAE

-22/8 - 29/8/1988,

P. Suitbertus a S. Joanne a Cruce Ferias Latinas moderabitur in PROVINCLA.

In Seminarii Aedibus Diocesis Nicensis quae inscribuntur:

La Maison du Séminaire
Boulevard Franck Pilatte, 29
F-06300 NICE

Schedae inscriptionis rogandae sunt a:
Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C9
Rue Léo Brun
F-06210 MANDELIEU

SCHOLAE FRISINGENSES

- 25/7 - 29/7/88

Scholae ad eos pertinent, qui iam sponte sua aliquam operam litteris Latinis dare consuerunt. Propositum est ut eis opportunitas detur Latine disputandi. Singulis scholis, quibus scholarchae praeerunt, agetur de argumentis maxime diversis, scilicet de rebus grammaticis, poeticis, rhetoricae, musicis, historicis, philosophicis, theologicis, aliis. Scholae agentur in Gymnasio:

Domgymnasium
Am Domberg
D-8050 FREISING

Schedae inscriptionis rogandae sunt a:

Prof. Dr. Wilfried Stroh
Institut für Klass. Philologie
Gesschwister-Scholl-Platz, 1
D-8000 MÜNCHEN 22.

Universität